

## I.5

### NARRATIO

Senza data.

Il conte Ildebrandino XII di Sovana-Pitigliano elenca le sue pretese nei confronti dei Grossetani e ricorda l'inoservanza degli impegni da parte di questi ultimi.

Copia semplice fine XIII-inizi XIV secolo, ASS, *Capitoli* 20, c. 3r.  
Regesto: ASS, Ms B 21, n. 829, c. 236r.

In nomine Domini amen. Quia fides veri verborum adminicula<sup>1</sup> non exposcit, ideo breviter est videndum, videlicet quod illustris vir dominus Ildibrandinus comes olim bone memorie domini Guillielmi Dei gratia comitis palatini vult et habere debet a singularibus personis de Grosseto, que silicet solvere consueverunt focaticum anuatim in festo Omnium Sanctorum et ita solitus est habere ipse et sui antecessores et antiquitus et noviter et ante tempora pactorum etiam tempore pactorum et post pacta ultimo facta usque ad festum Omnium Sanctorum proxime preteritum, in quo Grossetani errare ceperunt et denegaverunt et prohibuerunt illud dari et solvi castaldo domini comitis Rubei, quamquam ipsi deliberato consilio responderint ambaxiatoribus dicti domini comitis quod placebat eis quod dominus comes faceret illud colligi ad voluntatem suam sicut solitus erat et in festo Omnium Sanctorum vel de mense marçii sicut ei placeret; verum tamen hoc mostrari non posset nisi per illos qui talem respcionem receperunt et per ibi astantes et per illos qui pro domino comite predicto focaticum collegerunt et solverunt, in quantitate focatici non est vis. Illud focaticum solutum fuit per tempora Omnium Sanctorum ante tempus pactorum et post tempus pactorum per duos annos continuos a spetialibus personis et a prestatione dicti focatici singulares persone de Grosseto nullo tempore absolute fuerunt; isto autem tertio anno Grossetani privaverunt dominum comitem possessionibus vel quasi possessionibus istius iuris unde Grossetani in aliquo iure non essent audiendi nisi restituerent spolia sic ablata. Item dicitur quod predictus dominus comes debet habere pedagia a forensibus et dirictum portus a forensibus, videlicet V solidos pro ligno et a piscatoribus forensibus unum pisces iuxta meliorem, que rationes non sunt donate vel concesse comuni Grosseti vel singularibus personis et ista in pactis comprehensa fuerunt et ista iura habita sunt et percepta et antiquitus et noviter et ante pacta et post pacta duobus annis<sup>2</sup> continuis ut ista patent per dictum Ranerii castaldi, quod fuit redactum in scriptura quam habetis et posset patere per illos qui hec iura collegerunt et solverunt et ista iura nulli donata vel concessa fuerunt nec pacta hoc continent. Dominus comes nova pedagia non imponit nec exigit nec alia nova iura, sed antiqua et antiquata; Grossetani vero, proprie temeritate et audacia, hoc anno tantum predictis iuribus et possessionibus vel quasi possessionibus dictorum iurium privaverunt et in iure non essent audiendi, nisi possessiones vel quasi possessiones predictorum iurium restituta. Et licet ut audio dicant Grossetani quod hec omnia supradicta vi pactorum excludantur, dico quod de iure civili et canonico suo loco et tempore rationabiliter ostendere sum paratus, et quod per scripturas ostensas et per alia que ostendi possent et que apud se habet dominus comes et per vivas voces predicte rationes vi pactorum non sunt incluse sed exclude et a comuni Grosseti et hominibus spetialibus pedagia et rationes portus et pisces non petuntur, sed a personis forensibus et non Senensibus. Hec omnia et singula et copie scripturarum non sunt exhibita ut iudicis sed ut amicis de quibus confiditur, et ut prestetis domino comiti consilium, auxilium et favorem. Grossetani faciunt contra iuramentum fidelitatis, quia iuraverunt iura domini comitis observare, defendere et manuteneret ipsi occupant et exurpant. Item abstulerunt feuda rebellum comitis in Grosseto, quod est contra pacta. Item venientes habitare Grosseti debent ex pacto iurare fidelitatem domino comiti et non faciunt et sic

<sup>1</sup> Quia fides veri verborum adminicula è sovrascritto su Anno eiusdem MCCLXXV indictione tertia eraso.

<sup>2</sup> Segue ann cassato.

contra pacta. Hec non in modum allegationis, sed in modum alicuius narrationis facti scripta sunt. Grossetani, quia ingrati extiterunt de beneficiis eis collatis per multas rebelliones quas fecerunt et iuraverunt non facere et fecerunt, debent carere omni gratia et concessione eis facta et quod hodie faciunt privando dominum iure suo est una rebellio et est contra pacta. Grossetani fecerunt contra pacta primo quia omnes homines de Grosseto non iuraverunt fidelitatem ut promiserunt; item de pretio salis venditi in doane Grosseti tertiam partem nec etiam aliquid domino comiti non dederunt; item feuda rebellium quod debent esse comitis comune Grossetti abstulit et habet penes se et sic fecerunt contra pacta et de iure non sunt servanda eis iure testante.